

TRANSSYLVANIA

Siebenburgen.

TRanſſyluania, quę & ſeptem caſtrenſis quondam Dacia à Romanis nuncupata, in tres diuiditur nationes ſuis inter ſe moribus & legibus diſſidentes & diſtinctis terrarum locis prouinciam incolentes, videlicet in Saxones, Ciculos, & Hungaros. Tranſſyluani SAXONES ſicut cæteræ omnes nationes Germanicæ, habent peculiarem linguæ diałectum non multum à communi Colonienſium lingua diſſidentem. Vrbes & arces incolunt munitiſſimas, & cæteris nationibus præſtant. Sedes eorum ſunt ſeptem, nempe Zarvvarienſis 46:57: 46:36. Zabeſienſis, Millenbach 47:7. 46:46. Reuſmark, Segeſburgenſis, Scheſburg forte, Olczna, Schenkerſtul 48:21.47:5. & Rupenſis, ſed Reps forte, quæ ſingulæ pagos aliquot ſubiectos tenent. CICVLI Moldauiæ finitimi à Scytis oriundi ſuis legibus & moribus viuunt, ſuaque officia ſorte diſtribuunt. Nemo apud illos ignobilis eſſe cenſetur, etiamſi manu aratrum tractat, aut caprino gregi præſit. Hi in ſeptem ſunt diuiſi regiones, quas ipſi ſedes vocãt, quarum nomina ſunt: Sepſi 48:40.47:37. Orbai 49:17.47:28. Kyſdi 48:58.47:57. Czyk 48.43. 47:40. Gyrgio 48:0.47:39. MarcusZeek 46:58. 47:55. & AraniasZeek. HVNGARI & nobiles Tranſſyluani paſſim intermixti Saxonibus cum Siculis, propemodum tam ſermone, quã veſtitu & armis conueniunt. Omnes ſimul Tranſſyluani ad nonaginta & amplius armatorum milia ſuppeditant. Sunt autem in Tranſſyluania ſeptem vrbes celebriores locorum interuallis diſtantes inter quas Cibinium eſt metropolis & Harmanſtat dicitur, & parochiam Cathedralem habet 47:48.46:52. Braſſouia ſiue Corona Cronſtat vbi Academia & Bibliotheca inſignis 49:10. 47:8. Biſtritia Noeſenſtat 46:39.47:48. Segeſvvaria Scheſpurg 47: 54. 47:27. Megies Mydvviſch 47:34.47:16. Zabeſus ſiue Zaaz ſebes Millenbach 47:7. 46:46. & Coloſvvaria Clauſenburg 46:28.47:15. Eſt & ibi Alba Iulia ſedes Epiſcopalis, quæ quondam Tarmis dicta 47:0.46:50. Regis Decebali Regia tempore Traiani fuit. Olim Tranſſyluania vt membrum Regni ab Hungaro præfectum, quem VVayvvodam incolæ appellant, accipiebat: nunc autem Turcarum Imperatori tributaria facta, ab eodẽ ſuum VVayvvodam vel Beglerbegum poſtulat: ſuis tamen legibus & moribus viuit, auri, argenti, ferri, ſalis, vini ſerax. Numerantur autem in Tranſſyluania quoad penſiones taxarum octo parochialia Capitula præcipua, quæ ſimul vniuerſitatem appellant, Biſtricienſe capitulum habet Biſtriciam cum 23. pagis regijs. Regnenſe capitulum Regen forte 47:16. 47:44. habet pagos plus quam triginta. Barcenſe capitulum, Barzazag 48:46.47:8. habet Coronam ciuitatem cum tredecim pagis regijs. Kiſdenſe capitulum habet Segeſburgam & pagos quadrigintaocto. Duarum ſedium Capitulum complectitur ciuitatem Megienſem cum triginta ſex pagis. Cibinienſium capitula duo, quorum vnum habet Cibinium & pagos viginti tres, alterum Capitulum Cibinienſe, quod vocant Surrogatiua, continet pagos circiter vigintiduos. Zabeſienſe capitulum habet Zabeſium cum pagis ſeptendecim.

Meridiani diſtant ratione 47. paralleli
ad circulum maximum.

GERARDUS MERCATOR *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* DUISBERG, 1595 THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS Octavo